XLI.

DISSERTATIO JURIDICA,

DE

ACQVIRENDO RERUM DOMINIO,

Quam

Conſenſu Magnifici JCtorum Ordinis in Illuſtri SALANA,

SUB PRÆSIDIO

VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI AC CONSULTISSIMI

DN.

JOHAN. VOLK. Bechmans

J.U.D. EXCELLENTISSIMI, ET PROF. PUBL. EXTRAORDINARII MERITISSIMI,

Patroni, Promotoris & Præceptoris ſui omni honoris & obſervantiæ cultu devenerandi,

Publicè examinandam proponit

JOHANNES SEBASTIANUS CLEMMIUS, GLEIBERGA NASSOVIUS, Author.

Ad diem Martii

In Auditorio JCtorum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

JENÆ,
Literis SAMUELIS KREBSII.
ANNO M DC LIX.

I. N. D. N. J. C.

I.

ACturus de acquirendo rerum dominio, primò omnium liberanda erit vox dominium ab ambiguitate. Sumitur autem ferè tripliciter. *1. Latiſſimè* pro quacunque poteſtate ſeu facultate legitima ad aliquid, ſeu pro omni jure in re & ad rem, ſic & obligationis dominium conſtituit *Henr. Wegner ad inſtit. diſput. 4. th. 2. b. t.* ſic & procurator Dominus litis, ejusq; habere dominium lite conteſtata dicitur *l. 22. & l. 23. C. de procurat. l. 4. §. ult. de appell. 2. Sumitur latè*, & tunc dominium denotat omnia jura in re, ſic voce dominii veniunt ſervitus. *l. 8 in pr. de reb. auctor. jud. poſſid.* Hæreditas *l. 19. de caſtrenſ. pecul.* Poſſeſſio *l. 3. ſi uſusfr. petat. l. 2. C. ubi in rem. act.* Pignus *l. 48. de ſolut. 3. Specialiſſimè* ſumitur pro certa juris in re à reliquis diſtincta ſpecie & aliis ejusdem generis opponitur. *l. 13. §. 1. de damn. infect. l. 13. §. 1. C. de judic.* ſic dominium opponitur ſervituti. *d. l. 13. §. 1. C. de judic. l. 19. in pr. de damn. infect.* ſic aliud eſt dominium aliud hæreditas. *l. 19. de petit. hæred. l. 4. comm. divid.* aliud uſusfructus. *l. 1. §. 1. & 2. ad SCtum Sylan.* aliud pignus, *l. 5. §. 2. qui ſatisd. cogantur.* & aliud poſſeſſio, *l. 12. §. 1. de acquir. poſſ. Add. Dn. Habn. diſſert. de jure rer. th. 36. & animadv. ad Sutbolt. diſſ. 4. n. 4.*

Ambiguitas vocabuli dominii.

II.

Res autem quædam ſunt vel in patrimonio noſtro

Diviſio Rerum.

vel

vel extra patrimonium noſtrum, *in pr. inſtit. de rer. diviſ.* in patrimonio noſtro ſunt, quæ ſc. dominio noſtro ſubjici poſſunt, tales ſunt res prophanæ, extra patrimonium noſtrum vero ſunt, quæ noſtro dominio ſubjici non poſſunt, vel quæ in nullius privati bonis ſunt, & hæ vel abſolute tales vel ſecundum quid. Abſolute extra patrimonium ſunt, quæ hominum poteſtate & uſibus omnino ſunt exemtæ, ut nec ſint, nec poſſint eſſe alicujus, unde & divini juris vocantur, *l. 1. de rer. diviſ.* ſecundum quid extra patrimonium ſunt, quæ licet actu non ſint in bonis privatorum, ejus tamen ſunt naturæ, ut hominum neceſſitatibus & uſibus deſerviant, *Sutholt. dict. diſp. 4. aphoriſm. 6. & 11.*

III.

Enumeratio Definitionum.

Dominium varie & diverſimode definitur ab autoribus, *Weſenbecius n. 3. ad h. t.* ita definit, quod ſit jus de re corporea libere diſponendi, niſi quatenus lege prohibetur, *Giphanius* ita, quod ſit jus re corporali non tantum utendi, ſed etiam abutendi atque alienandi & eam vindicandi, quatenus jure permittitur, cum quo conſentit *Harprecht libr. 2. inſtit. tit. 1. n. 19.* *Forſterus* hoc modo, quod ſit jus patrimonii rei dominandi, has recenſitas definitiones omnes carere differentia ſpecifica demonſtrat *Dn. Hahn. ad Weſenbecium n. 3. in fin.* Dominium ita definire placet, quod ſit jus in re corporali, quo quis de iſta re poteſt, pro arbitrio nomine proprio diſponere, niſi lege aut conventione prohibeatur, *l. 21. C. mandat. l. 9. §. 3. de acquir. rer. dom. l. 11. in fin. ſi ſervitus vindic. l. 17. ff. de acquir. poſſeſſ.*

IV.

Explicatio definitionis.

In definitione *dicitur jus* loco generis poſito vocabulo, & denotat illud ipſum jus, propter quod res noſtra eſt, & quidem in re conſtitutum, juxta *l. 3. C. de præſcript.*

30. an-

30.annor. dicitur *de re corporali*, ad differentiam rerum incorporalium, in quas dominium *propriè & preſſè* non cadit *tot.t. de rei vindic.* ſed in illis dicimur habere jus, velut ſi tibi competat ſervitus paſcendi in alterius fundo, non diceris habere dominium iſtius ſervitutis, ſed jus illud *l.25.ff. de verb.ſign.* dicitur in definitione *nomine proprio diſponere*, quibus verbis à dominis, ſive his qui dominium habent diſcernuntur illi, qui dominis ſimiles ſunt, vel qui dominorum loco habentur, ut fructuarius, *l.8.in pr. de reb.auct.judic.poſſid.* Emphyteuta *l.5.§.fin ff.arb. furt.cæſar.l.12.in fin.C. de fund.patrim.* bonæ fidei poſſeſſor *l.25.§ 1. verſ.porro ff.de uſur.l.48.ff. de acquir.rer.dom.* tutor & curator *l.7.§.3.ff.pro empt. l.56.§.4.de furt.* ut denique vaſallus ſive feudatarius, hi igitur & ſi qui ſint ſimiles, tametſi ſunt loco dominorum, vere tamen domini non ſunt, dicitur porro *niſi lege prohibeantur*, ſunt enim quædam perſonæ, quæ licet habeant dominium rerum, tamen prohibentur res ſuas alienare & de illis pro ſuo arbitrio diſponere, lex enim in ipſis dominii effectum impedit propter certas rationes & cauſas legitimas, ſic maritus licet ſit dominus prædii dotalis, *l.9.C.de rei vindic.* Lege tamen Julia prohibetur, etiam conſentiente uxore illud alienare, *tot.t.ff. de fund.dotali & §.1.I. quibus alien. licet.* cum Reipublicæ interſit dotes mulieribus conſervari, *l.1.ff.ſolut.matrim.* Item pupillus ſine authoritate tutoris vel decreto judicis, res ſuas alienare vetatur propter ætatis imbecillitatem & fragile judicium, *§.2.I. quibus alien. licet.* dicitur ultimò in definitione *niſi conventione prohibeatur*, ut in debitore, qui creditori rem aliquam pro debito obligavit. Utcunq; enim debitor ſit dominus pignoris, tamen illud propter conventionem cum creditore initam alienare non poteſt.

Diviſio Dominii Prima

Explicatâ definitione veniendum eſt ad diviſiones. Dividitur dominium primò in revocabile & irrevocabile, illud eſt, quod aliquando revocari poteſt ſeu quod aliquando abiturum eſt ab eo, qui id modo habet, ut eſt dominium mariti in dotem, quod ſublata cauſa ſeu ſoluto matrimonio tollitur & ita revocatur, *arg. l. 30. C. de jur. dot. add. Bachovium in pr. inſtit. quibus alien. licet.* item dominium quodcunque quis habet ſub conditione vel tempore aut alia qualitate revocatoria, *l. 66. ff. de rei vindic.* plura exempla vide apud *Dn. Hahn. ad Weſenbecium n. 3. in fin.* hoc ſc. irrevocabile eſt, quod nunquam poteſt revocari.

Secunda

2. Dominium aliud eſt verum, aliud fictum, illud eſt quod jure gentium vel civili verè acquiſitum, *§. 11. & ſeqq. de rer. diviſ.* Hoc quod revera non eſt, ſed fingitur, *arg. §. 3. I. de action. l. 48. de acquir. rer. dom. l. 136. de R. J.*

Tertia.

3. Dominium aliud eſt plenum, aliud minus plenum, Dominium plenum dicitur, quando quis habet liberum ſc. quoad proprietatem & fructuum perceptionem ſimul, ſeu ſaltim quoad proprietatem de re diſponendi arbitrium, minus plenum verò, quando adeſt ipſi proprietati reſtrictio, & hoc dominium ſubdividitur in directum & utile, directum habere dicitur, qui proprietatem iſtam reſtrictam & ſuperiorem in re poteſtatem retinet, & venit in legibus abſolutè nomine Domini, *l. 8. §. 1. ſi ager vectig. l. 1. C. tit. eod.* ut 1. Dominus feudi, *2. f. 8. §. 2.* 2. Dominus rei in emphyteuſin datæ, *l. 1. & 2. C. de jur. emphyt.* & 3. Dominus ſoli ſuperficiarii, *l. 1. §. 4. de ſuperfic.* Utile Dominium habere dicitur, qui jus utendi fruendi habet ac ſimul participat de proprietate iſtà, ut aliquo modo & ipſe de eà diſponere poſſit, ut 1. Vaſallus, *arg. 2. feud. 8. verſ. rei autem.* 2. Emphy-

tenta, *l. 71. §. pen. & ult. de legat. 1. l. 16. §. ult. de pign. action.* 3. Superficiarius, *arg. l. 73. §. 1. l. 74. l. 75. de Rei vindicat.*

VI.

Acquiritur autem nobis dominium 1. per noſmetipſos, *l. 10. in pr. ff. h. t.* 2. per liberos noſtros utriusq; ſexus in poteſtate exiſtentes, idque tamen ſub diſtinctione peculii. 3. per ſervos omninò noſtros ſine diſtinctione peculii, quod unicum & ſimplex iis eſt, ut & nobis ignorantibus ac invitis, & quidem continuò, ut ne quidem momento in eorum perſonâ conſiſtat, *l. 79. ff. de acquir. & amitt. poſſ.* 4. per ſervos fructuarios, in quibus duntaxat uſumfructum habemus, aut homines, quos bona fide poſſidemus, ſive ſervi ſive liberi homines ſint, duabus tantum ex cauſis ex operis nimirum ſuis & ex re noſtra, *§. de iis autem inſtit. per quas perſ.* Ex reliquis vero cauſis (ut ſi quippiam iis donetur, ſi legatum aut hæreditas relinquatur) proprietatis domino, aut ſibi, non autem poſſeſſori aut uſufructuario acquirunt, *d. §. inſtit. per quas perſon. l. 10. §. 3. & 4. l. 19. l. 23. l. 47. ff. h. t. l. 1. §. 5. ff. de ſtipulat. ſerv.* prohibentur verò acquirere quædam perſonæ vel naturâ, ut furioſus & infans, *l. 5. de Reg. Jur. l. ult. C. de curat. furioſ.* Lege prohibentur, quibus commercium eſt interdictum, ut in metallum damnati, hæretici, *l. 3. & 4. l. 22. C. de hæret.* in inſulam deportati, *l. 17. ff. de pœnis.* Commodè hic quæri poteſt quale dominium competat principibus in bonis ſubditorum. Reſp. Quod principibus dominium propriè ita dictum ſeu dominium proprietatis, in bonis privatorum ſeu ſubditorum non competat, quia ſubditi ea legitimè ſibi acquiſiverunt per *§. 11. inſtit. de rer. diviſ.* Ita ut nec princeps ex plenitudine poteſtatis ſuæ eas aufferre queat, cum illius proprium eſſe debeat jus ſuum cuique tribuere, *§. 3. I. de*

Perſonæ acquirentes.

juſt. & jur. competit tamen illis dominium ſubjectionis, juriſdictionis ſeu protectionis, quod tamen, *ut notat Habn. ad Weſenb. n. 4. de acquir. rer. dom.* rectius dicitur jus ſuperioritatis.

VII.

Res quinque modis dicuntur nullius.

Supra th. 2. dictum fuit res quasdam eſſe in nullius bonis jam videndum quotupliciter res nullius ſunt, dicuntur autem ab interpretibus res nullius *quinque modis.* 1. Cenſurâ hominum, quæ ſc. hominum deſtinatione ſunt exemptæ, ut dominio noſtro ſubjici nequeant, quas JCtus in *l.1.de rer.diviſ.* dicit eſſe divini juris, ut ſunt res ſacræ, ſanctæ ac religioſæ, §. *7. 8. 9. & 10. inſt. de rer. diviſ.* 2. facto noſtro, ut ſi res pro derelicta habeatur, §. *47. inſtit. de rer. diviſ.* 3. naturâ, & quidē vel ſimpliciter quæ, & quoad proprietatem & quoad uſum ſunt nullius, vel certo reſpectu, quod nimirum ſint nullius, quamdiu non occupantur, ut ſunt jure Romano feræ beſtiæ, §. *12. inſtit. de rer. diviſ.* vel quod in nullius privati bonis ſint, licet ad gentem ſive civitatem quandam ſpectent, *l. 1. in pr. verb. quæ publicæ ſunt &c. de rer. div.* 4. tempore, quando nimirum propter temporis diuturnitatem latet, quis ſit dominus, ut in theſauro, §. *theſaurus inſtit. de rer. diviſ.* 5. Caſu ſeu eventu quodam ut hæreditas jacens & res hæreditariæ antequam aliquis hæres exiſtat, *d.l.1 in pr. verb. nam res hæreditariæ &c. de rer. diviſion.* Breviter res, quæ ſunt nullius hoc diſticho comprehenduntur.

Cenſurâ, factô, naturâ, tempore, caſu,
Res in nullius dicitur eſſe bonis.

VIII.

Res divini juris regulariter nec alienari nec obligari aut oppignorari poſſunt, §. *8 inſtit. de rer. diviſ.* unde dominio

nio noſtro ſubjici non poſſunt, §. 7. *inſt. eod.* Sunt autem res divini juris vel ſimpliciter tales, ut res ſacræ & religioſæ, vel quodammodo & per quandam analogiam & ſimilitudinem, ut ſunt res ſanctæ, *l. 8. ff. de rer. diviſ.* §. 10. *inſtit. verb. quodammodo divini juris &c. dict. tit. de rer. diviſ.*

IX.

Res ſacræ ſunt, quæ ritè & ſolenniter à pontificibus conſecratæ, & uſibus ad cultum Dei pertinentibus ſunt dedicatæ, non quas privatim quisque ſibi conſtituit, §. 8. *inſtit. de rer. diviſ. l. in tantum §. ſacræ ff. eod. l. 9. in pr. eodem*, JureCanonico ejusmodi conſecratio ad jus Epiſcopale refertur, adeoque authoritate Epiſcopi res fit ſacra, *c. 8. diſt. 1. de conſecrat.* Uſum hodiernum quod attinet, hodie in noſtris Eccleſiis, authoritate ejus, cui ſuperioritas territorialis & vigore hujus jus Epiſcopale competit, eorumve, qui ab illis ſacris ſunt præpoſiti, Eccleſiæ ædificantur, reparantur, alia parantur, Deo dedicantur & conſecrantur, *Heig. ad §. 8. inſtit. de rer. diviſ.* vid. *Dn. Carpz. Jurisprud. Conſiſtor. l. 2. def. 334. n. 9. & ſeqq.* Quæritur 1. An ille, qui ex eo loco, qui non publica vel Pontificis vel Epiſcopi, vel ejus, cui jus epiſcopale competit, ſed privata auctoritate ſacer deſtinatus eſt, aliquid abſtulerit, ſacrilegii pœnâ afficiendus ſit. Reſp. Quod non pœnam ſacrilegii, ſed mitiorem pœnam mereatur, per *l. 9. §. 1. ff. ad L. Jul. peculat.* Quæritur 2. An res ſacræ & quatenus alienari poſſunt. Reſp. Diſtinguendo aut enim res ſacræ directo & principaliter ad uſum & cultū divinū ſunt deſtinatæ, ut templa, donaria, calices, libri, vaſa, & omnis alia ſuppellex ſacra, & hæ res alienari nequeunt, niſi 1. Ex cauſa pietatis pro redemptione captivorum, ſi Chriſtianæ fidei conſortes ab hoſtibus capti veniant redimendi, & nihil aliud ſuppetat, unde redi-

Res ſacræ quæ?

man-

mantur, quia animæ hominum, quibuscunq; cauſis, vaſis & veſtimentis præferri debent, *l. ſancimus C. de SS. Eccleſiis*, item tempore famis pro alimentis pauperũ, ſi intoleranda fames ita premat eos, ut pauperum & infirmorum vitæ ſuccurrendum ſit, *d. l. ſancimus*, Aurum enim Eccleſia habet, non ut ſervet, ſed ut eroget & ſubveniat in neceſſitatibus, *C. aurum 70. cauſ. 12. quæſt. 2.* 2. ex cauſa neceſſitatis res Eccleſiaſticæ alienari poſſunt, ut ſi æs alienum urgeat Eccleſiam, & ſi aliunde perſolvi nequeat, *auth. hoc jus porrectum, & auth. præterea C de SS. Eccleſ.* add. *Bachovium in not. & animadv. ad Treutler. volum. 2. diſput. 30. th. 1. Lit. B.* Aut non ſunt deputatæ, aut deſtinatæ ad uſum & cultum Dei principaliter ſive directò, ſed ad ſuſtentationem miniſterii, veluti decimæ, reditus annui Eccleſiæ, ejusque prædia, agri, prata, paſcua, vinea & ſimilia, atqui iſtæ res, ſi modo Eccleſiæ conditio inde fiat melior, ſive ſint mobiles ſive immobiles, certis obſervatis requiſitis à jure canonico obligari, oppignorari & alienari poſſunt, quæ requiſita habentur in *can. ſine exceptione. 51. cauſ. 12. quæſt. 2. add. novell. 120. cap. 6. Carpz. Jurisprud. Conſiſtor. d. l. 2. def. 300.* Quæritur 3. An locus ſacer captus ab hoſtibus maneat ſacer? Reſp. quod hoc caſu locus iſte ſacer eſſe deſinat, liberatus tamen ab eâ calamitate, quaſi quodam poſtliminio priſtino ſtatui reſtituitur, *l. 36. ff. de relig. & ſump. fun.* quia dedicatio & conſecratio loci ſacri, ad ejus tantummodo populi uſum facta eſſe videtur, in cujus gratiam dedicatio facta eſt, quare ſc. is populus eo loco amplius uti non poſſit, quod fit, ſi hoſtes eum occuparint, ex tacita voluntate & voto dedicantis ille ſacer eſſe deſinit.

X.

Res religioſæ. Res religioſæ (non attentis aliorum derivationibus, de

qde quibus videatur *Bacbovius* §. *9. inſt. de rer. diviſ.*) à reliquendo à veteribus dictæ ſunt, quæ propter ſanctitatem uandam à communi ſu hominum relictæ ac remotæ, & quas violare nefas eſt, ut ſunt cœmeteria & templa, *Zaſ. in l. 2. §. quædam ff. de interdict.* & differunt à rebus ſacris. 1. quod ſacrum publicâ, id eſt Pontificis vel Epiſcopi, vel ejus, cui jus epiſcopale competit, auctoritate, religioſum privata auctoritate & voluntate fiat. 2. quod ſacrum Deo deſtinatum ſit & dedicatum, religioſum non Deo, ſed ſepulturæ hominum. 3. quod ſacrum fiat conſecratione religioſum mortui corporis ac reliquiarum illatione, ad hoc tamen, ut locus efficiatur religioſus, duo requiruntur. 1. Quod ibi ſit mortuus illatus & ſepultus, §. *9. inſtit. de rer. diviſ.* 2. Quod à Domino vel quaſi ſit illatus, adeo ut nec in fundum communem invito ſocio mortuum inferre liceat, ut patet ex dict §. Unde ſi quis infert mortuum in locum alienum, datur contra eum actio in factum, ut mortuum removeat, & locus non erit religioſus, vel pretium loci Domino præſtet, & erit religioſus, ſi vero inferat mortuum in locum alienum ſcienter & doloſe vel aliter ſepulchrum devaſtet, datur contra eum actio in factum de ſepulchro violato ad intereſſe ejus, ad quem pertinet, & ſi nemo agere velit, cuilibet de populo ad pœnam centum aureorum actio datur, & inſuper ſepulchrorum violatores efficiuntur infames, *l. 1. & 2. §. prætor ait l. 7. ff. de relig. & ſumpt. funer. l. 3. in pr. ff. de ſepulchro violato,* Hodie locis publicis utimur ad ſepulturam, quæ cœmeteria vocantur, ad quorum conſtitutionem requiritur Jure Canonico authoritas & conſecratio epiſcopi, *arg. c. 7. & ult. de ſepultur.* apud nos vero cœmeteria non conſecrantur, authoritate tamen ſuperioris, hujusque magiſtratus Uſus Hodiernus.

 ecclc-

ſiaſtici cœmeteria conſtituuntur, & de iis diſponitur, vide *Dom. Carpz. libr. 1. reſponſ. Elect. 86. & libr. 2. Juriſpr. Conſiſtor. tit. 24.*

XI.

Res ſanctæ. Res ſanctas dicit *Weſenbecius n. 2. de rer. diviſ.* eſſe quæ legis ſanctione & pœnarum terrore ab omni injuria ac violatione hominum ſunt defenſæ ac munitæ, ut ſunt muri, portæ, *l. 8. l. 9. §. 3. l. fin. ff. de rer. diviſ. l. 3. §. 17. de rer. milit. junct. §. 10. inſtit. de rer. diviſ.* Sanctæ autem dicuntur vel à ſanciendo vel à ſagminibus herbis, quas legati populi Romani ad hoſtes miſſi ſecum ferre ſolebant, ne violarentur, auctore Marciano in *l. 8. §. 1. ff. d. t.* Atque inde legati ipſi ſancti dicuntur, *l. fin. de legat.* eoque intuitu imperium Romanum quoque dicitur ſanctum germanicè, das heilige Römiſche Reich / *Dn. Beſoldus diſſert. juridicopolit. de jur. & diviſ. rer. cap. 5. n. 9.* Eſt autem ſanctio ea pars legum, qua pœna continetur in eos, qui contra legem fecerint, *l. 41. ff. de pœn.* Sanctarum vero rerum numero præcipue ſunt muri & portæ omnium civitatum, adeoq; juxta quosdam Dd. etiam municipalium, *l. 1. in pr. & l. 8. §. ult. de rer. diviſ. §. 10. inſtit. d. t. l. 2. ff. ne quid in loc. ſacr. fiat,* pœna autem capitis ſancita & conſtituta eſt adverſus eos, qui aliquid in iſtas res deliquerint, quæ quodam modo divini juris ſunt, *§. 10. inſtit. de rer. diviſ. l. ult. ff. eodem.* nam civibus Romanis aliàs quam per portas ingredi non licet, cum illud hoſtile & abominandum ſit, & ob id Remus frater Romuli occiſus traditur, *in d. l. ult. de rer. diviſ.* Hodie tamen hæc in praxi non obſervantur, niſi in caſtris & propugnaculis principum, ut *dicit Habn. ad Weſenbecium n. 1. in fin.*

XII.

Forma Dominii. Dominium autem ſupra *theſi 3.* definitur, ut jam acquiſi-

quiſitum, non verò, ut acquirendum & ut eſt in fieri, ideoque rectius dicitur conſiſtere in proprietate, qua ſpecie diſtat à reliquis juribus in re, & fructuum perceptione in illa directo & principaliter, *l. 25. ff. de verb ſignif. l. 9. §. 6. & 7. l. 13. in pr. & §. 1. ff. de acquir. rer. dom. §. 44. & 45. inſtit. de rer. diviſ.* hæc autem per conſequentiam ex proprietate fluit ac dependet, *l. 25. in pr. & §. 1. ff. de uſuris,* & poteſt ſalva eſſentia dominii abeſſe, *d. l. 25. ff. de verb. ſignif.* poſteriori autem ratione dici poteſt conſiſtere in ipſa rei (titulo dominii translativo) acquiſitione.

XIII.

Modi conſtituendi ſeu acquirendi rerum dominia veniunt explicandi; ſunt autem hi duplices vel naturales, ſeu juris gentium vel civiles, naturales ſunt, quos non Romani primum excogitarunt, ſed ipſa naturalis ratio prodidit, & præcipuè ſunt duo, occupatio ſeu apprehenſio & acceſſio. Modi civiles ſunt ii, qui inter cives tantum Romanos lege quadam introducti ac confirmati ſunt, & ſunt iterum duplices, vel univerſales vel particulares, univerſales ſunt hæreditatis acquiſitio, bonorum poſſeſſio, arrogatio, addictio bonorum libertatum conſervandarum cauſa, item Emptio bonorum & SCtum Claudianum. Particulares vero ſunt uſucapio, mortis cauſa donatio, legatum & fideicommiſſum particulare, ſed his modis à jure civili introductis relictis, me confero ad eos potiſſimùm, qui jure naturali ſunt introducti. Modi acquirendi.

XIV.

Eſt autem primus modus acquirendi dominium à jure naturæ introductus, occupatio, quæ eſt rei, quæ nullius actu, alicujus tamen fieri poteſt, apprehenſio, animo dominii acquirendi facta. Intelligo autem hic rem nul- Occupatio in genere.

lius, quæ talis non eſt cenſurâ, aut caſu, ſed vel naturâ, vel factô, vel tempore, res enim, quæ nullius propriæ, ſed naturâ ſeu jure naturali omnibus hominibus communes, ut ſunt feræ beſtiæ in terra, piſces maris in aqua occupanti cedunt, *l.1.in fin.ff.h.t.* quod enim nullius in bonis eſt, id naturali ratione occupanti conceditur, *l.3.ff.h.t.* & complectitur hic modus quatuor alias ſpecies, venationem, inventionem, occupationem bellicam, & traditionem.

XV.

Venatio. Venatio eſt jus ſeu facultas libera perſequendarum & occupandarum animantium ferarum, in nullius dominio exiſtentium, gentium & civili hominibus permiſſa, fit autem ideo mentio in hac noſtra definitione juris civilis, quia conſtat jus venandi alicui interdum ex conſtitutione vel ſtatuto, nonnunquam ex conſuetudine & præſcriptione, aliquando vero ex privilegio competere, *arg. l.13. §. ult. ff. de injuriis,* privilegium autem, *l.16. ff. de legibus,* præſcriptio, *l.1. ff. de uſurpat. & uſucap.* conſuetudo, *l.32. ff. de legibus,* conſtitutio & ſtatutum, *tot. tit. ff. de conſtitut. princip.* juris civilis cenſentur; jure vero gentium venationem hominibus eſſe conceſſam notiſſimum eſt. Sciendum etiam eſt vocabulum venationis hic tam latè ſumi, ut comprehendat piſcationem & aucupium. Occupando igitur feras beſtias noſtras fafacimus, etiamſi jam ante ab alio ſemel fuerint occupatæ, & rurſus in naturalem libertatem reverſæ, tunc autem intelliguntur in naturalem libertatem reverſæ, cum vel oculos tuos effugerint, vel ita ſint in conſpectu tuo, ut difficilis ſit eorum perſecutio, *§.12. inſt. d. t.* hæc enim eſt natura iſtorum animalium, ut captæ non exuant feritatem ſed tales maneant, eoq; non diutius ſint occupantis, quam dum

dum ſunt occupatæ, & adhuc ejus cuſtodia coercentur, & dicitur, *in eodem* §. quod fera fiat occupantis etiamſi capta ſit in fundo alieno, nec enim feræ beſtiæ ſunt ejus, cujus eſt ſylva vel fundus, dominus tamen alium, aditu & ingreſſu ſui fundi prohibere poteſt, in tantum, ut injuriarum teneatur, qui contra prohibitionem ejus ingreſſus fuerit, *l. 13. §. ult. de injur. l. 2. §. 9. ff. ne quid in loc. publ. l. 16. de ſervit. ruſtic. præd.* Verum quæritur, an neglectâ domini prohibitione, fundum ingrediens, animalia capta ſibi plenè acquirat, an ea fundi domino reſtituere cogatur. Et ſunt nonnulli qui affirmant, quod ille, qui poſt prohibitionem fundum alienum ingreſſus eſt, capta fundi domino reddere teneatur, ſed contraria uti communior ita longe verior eſt ſententia, & maximè probatur ex §. *12. inſt. de rer. diviſ. l. 3. §. 1. ff. de acquir. rer. dom.* & hæc ſententia inſuper duplici ratione fulcitur, tum quod occupatio eſt modus acquireudi, nec prohibitio Domini ne ingrediatur, & quæ ab ipſo occupationis actu omnium remota eſt, facere poteſt, ut ea non ſit modus occupandi, tùm quia prohibitio illa non poteſt eſſe modus acquirendi, adeo cum fera capta non poteſt fieri domini prohibentis, neceſſe eſt, ut ſit capientis. Quæritur an clericis licita ſit venatio? Reſp. Diſtinguendo inter venationem clamoſam & quietam (quæ ſine canibus fit absque clamore, vel qua avibus & aliis feris laquei & retia tenduntur) clericis ſit permiſſa, illa non item: Jure tamen Canonico monachi imprimis à venatione (non item piſcatione, quæ utpote exercitium & ſpectaculũ minus cruentum, indiſtinctè permiſſa) certis ſub pœnis ſimpliciter arcentur, *Clem. in agro §. porro de ſtat. monach.* Epiſcopus enim contrafaciens tribus menſibus à communione, presbyter

duobus & diaconus ab omni officio ſuſpenditur, *can.1. diſt.34.* ratio autem hæc aſſignari poteſt, quia venatoria exercitia athletica videntur & militaria, quæ procul à cœleſti militia abeſſe debent, quod ſi tamen hujusmodi perſonæ ſaltus proprios, aut jus venandi aliàs habent, aut reditus in ſola venatione conſiſtunt tum illi non ipſi quidem, Sed per venatores laicos etiam clamoſam venationem poſſunt exercere, *dict. clem.* Hodiernum uſum quod attinet, notum eſt, non licere omnibus amplius venari, ſed ſolum principibus, & quibus à principibus conceditur, qui ſubditis non ſolum in locis publicis ſed & in privatis ac propriis agris jus ademerunt, ſed jam occurrit hæc quæſtio, an juſtè à principibus hodie ſubditis venatio ſit adempta, & ſibi ſolum hoc jus vindicent, hæc Quæſtio primâ fronte neganda videtur, quia feræ jurè naturæ ſunt nullius & cedunt occupanti, §.*12. inſt. h. t.* jus autem naturale non poteſt tollere princeps, §.*penult. inſtit. de jur. natur. gent. & civ.* deinde ſacra ſcriptura de omnibus hominibus indiſtinctè dicit, dominamini piſcibus maris & volatilibus cœli & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram, *Gen.1. verſ.28. Syrac.17. verſ.4.* ſed veriorem eſſe putamus contrariam ſententiam, propter has ſequentes rationes, nam 1. Reipublicæ gubernatio à Deo ita concredita & commiſſa principibus aliisq; ſummis Magiſtratibus, ut gubernent eam cum præcipiendo, tùm prohibendo, prout ſalus Reipubl. & neceſſitas hoc exigit, unde cùm viderunt principes magno cum Reipubl. detrimento conjunctum eſſe, ſi otio promiſcuè indulgerēt ſubditi, venationis jus eis interdixerunt, nam feras ſi ſectarentur ſubditi, pacē publicam exinde turbari eveniret, cum ſine armorum ſubſidio venari vix quis poſſit: 2. Subditi etiam ab

Uſus Hodiernus.

officiis

officiis ſuis avocarentur magno certe cum Reipublicæ diſpendio. 3. cum jus venandi nulli fuerit proprium, ſed toti populo commune, ergo recte factum, quod principes qui toti populo præſunt ſibi ſumpſerunt, ita enim nemini quicquam eripuerunt, quia feræ erant nullius, & cum reditus hic ſit, qui neminem reddat pauperiorem, recte refertur ad fiſcum. Ad rationes negantes ita reſponderi poteſt, ad primam diſtinguendo inter jus naturale poſitivum & negativum, illud non poteſt tollere, ad negativum autem jus pertinent feræ, quia jure naturæ nulli ſunt applicatæ ad 2. Reſp. quidem in dictis locis non agi de dominatu, qui in venatione conſiſtit, ſed ſenſum eſſe, ferociſſimam etiam beſtiam hominem expaveſcere, & ceu dominum ſuum revereri, *Geneſ. 9. verſ. 2.* ibi: Et terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ. Et ultimo quæritur, quo jure competat jus venandi principibus, an per jura ſuperioritatis, an per præſcriptionem, an vero inſtar ſervitutis? Reſp. Principes ſibi jus venandi vindicare vi ſeu jure ſuperioritatis atque jurisdictionis, quoad loca publica (quod in illis & alias licita ſit venatio, nec in iis locum habeat præſcriptio) jure vero immemorialis præſcriptionis quoad loca privatorum, quod ſcilicet per prohibitiones inſecutas, quibus non contradixerunt privati, hoc jus ad principes ſit translatum, ſervitus autem propriè loquendo dici non poteſt, quia hic non conſideratur jus in alieno, ſed jus quod fuit commune, quod uni ſoli adſcriptum eſt.

XVI.

Inventio ratione objecti generalior & amplior eſt quam venatio, eſt enim rerum, quæ nullius ſunt non na- Inventio.

turâ

turâ ſolùm ut venatio, ſed etiam factô, ut loquuntur interpretes, aut tempore, unde per inventionem primo acquiruntur res communes inanimatæ, lapilli, gemmæ, margaritæ, conchæ, & cæteræ in litore maris natæ & inventæ, & à nullo antea poſſeſſæ, & hæ jure naturali ſtatim inventores fiunt, §. *18. inſt. de rer. diviſ. l. 3. ff. eod.* ſecus eſt in iis, quæ in privatis locis vel in viis & itineribus publicis reperiuntur, ea enim inventoris non fiunt, ſed priſtini domini manent, & qui inventum hoc non reddit, furtum committit, *l. 43. §. 4. & 8. de furtis*, ratio eſt, quia omnes ſcire debent, quod ſuum non eſt, hoc ad alios modis omnibus pertinere, *ut eleganter loquitur Juſtinianus in l. ult. C. unde vi*, ſecundo res pro derelictæ habitæ, quando quis res mobiles abjecit, aut de immobilibus exiit eo animo, quod eas in rerum ſacrum numero amplius eſſe nolit, §. *47. I. h. t.* & ideo ſtatim occupantis fiunt, quia eorum abjectio vim tacitæ cujusdam donationis habet, *l. 1. & 5. ff. pro derelicto*, ſi modo occupans ſciat, rem à domino pro derelicto habitam, *l. 2. in pr. eod.* nam in dubio iſthæc voluntas non præſumitur, cum nemo rem ſuam temerè jactare cenſetur, *l. 25. verſ. qui enim ſolvit ff. de probat.* ex ſupra autem tradita deſcriptione rerum pro derelictis habitarum apparet, non eſſe objectum inventionis nec pro derelicto habitum. 1. quod fortuito amiſſum eſt, veluti quòd de rheda currente non intelligentibus dominis lapſum eſt, §. *ult. I. de rer. diviſ.* 2. quod neceſſitate urgente projectum eſt, veluti navis levandæ & evitandi naufragii vel etiam incendii cauſæ, neque enim ſponte id factum, nec eo animo, quod quis in numero rerum ſuarum habere nolit, & talis res ejecta domini manet nec fit apprehendentis, & contra illum datur actio furti, qui eas lucrandi animo occupat, §. *ult. de*

rer.

rer. diviſ. l. 43. §. 11. ff. de furtis: nec diſtinguitur an ſciverit an ignoraverit, cum ſcire debebat, quod ſuum non eſt, hoc ad alios pertinere, ut ſupra dictum eſt. Tertio theſaurus, qui definitur in *l. 31. § 1. h. t. l. unic. C. de theſauris*, hoc modo, quod ſit vetus quædam pecuniæ depoſitio, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat, in hac autem definitione verbo *pecuniæ* non ſolum ſignificantur nummi, ſed & aliæ abditæ opes, *d. l. unic.* ſi quis autem metus vel cuſtodiæ cauſa pecuniam abſconderit proprie non eſt theſaurus, nec fit inventoris, ſed manet deponentium, *l. 44. ff. de acquir. poſſeſſ. l. 67. de rei vindic.* Q. An autem theſaurus indiſtinctè fiat inventoris, primò firma conſtituatur concluſio, quod inveniens theſaurum incantationibus & arte magica ſive in ſuo ſive in alieno eum reperiat, non facit ſuum, ſed is totus applicatur fiſco, *d. l. unic. in pr.* imo talis tanquam maleficus puniri & capite plecti debet, *l. 5. C. de maleſ. & mathemat.* alias circa inventionem theſauri ita poteſt diſtingui, aut quis invenit theſaurum in ſuo fundo vel alio loco proprio ſive caſu fortuito ſive data opera & quæſitus, & totus fit inventoris, aut invenit theſaurum in loco vel fundo alieno & ſubdiſtinguitur, aut eum invenit caſu fortuito arando, vel alias terram alienam colendo, non animo quærendi theſaurum, & tunc dimidia ejus pars eſt ipſius inventoris, altera vero pars ipſius domini fundi, in quo theſaurus eſt repertus, *d. l. unic.* aut quis reperit eum in loco alieno data ad hoc opera licita, & tunc totus acquiritur domino iſtius loci & inventori nihil debetur, aut quis invenit theſaurum in loco publico fiſcali Cæſaris vel civitatis, & iterum ſubdiſtinguitur aut data ad hoc opera licita, quis reperit theſaurum, & totus illorum efficitur, quorum eſt locus

publi-

publicus vel fiſcalis, aut caſu fortuito,& tunc dimidia pars fit inventoris,& altera dimidia pars fiſci, *l.3. §.fin.ff.de jur. fiſci,* & qui hanc dimidiam partem ad fiſcum pertinentem ſuppreſſerit,totum fiſco ſolvere cogitur, *d.l.3.* aut quis invenit theſaurum in loco ſacro vel religioſo, & Juſtinianus totum eum tribuit inventori,§.*theſaurus inſtit.de rer.diviſ.* Quæritur autem de jure Romano,ſi alter prius viderit,alter vero prius occupaverit, Utrum horum fiat dominus, an is, qui prius occupaverit,an verò is, qui prius viderit,& Reſp. quod is, qui prius occupaverit, quia non ſolus ſufficit rei viſus vel nudus conſpectus, ſed realis apprehenſio quoque & occupatio cum animo habendi,ut patet ex §.*12. inſtit. de rer. diviſ. verb. fiunt occupantium.*

XVII.

Occupatio bellica.

Sequitur nunc tertia ſpecies apprehenſionis,nempe occupatio bellica, quæ enim ex hoſtibus juſto & legitimo bello (quod eſt,ſi ex juſta causâ fuerit initum,& rite indictum)capiuntur,ſtatim capientiũ fiunt,*l.51.ff.b.t.§.17.inſtit. de rer.div.Num.c.21.v.24.& ſeqq.Deut.c.3.v.7.*ita etiam,ut & liberi homines efficiantur ſervi, ſi capiantur homines ſingulares,ſecus ſi capiatur univerſitas,nam civitates vel univerſitates captæ ab hoſtibus non efficiuntur ſervæ hoſtiũ, ſed ſubditæ quoad jurisdictionẽ,& propterea retinent ſua bona & civitatis jura,qui tamen,ſi evaſerint,ſive vi ſive fallacia poteſtatem hoſtium, & ad ſuos reverſi fuerint, poſtliminii jure libertatem priſtinam recipiunt, §.*17.inſtit. de rer.diviſ.* Hodie vero inter Chriſtianos propter charitatem Chriſtianam, & quos magis fratres invicem, quam ſervos eſſe decet, jus captivitatis & poſtliminii ceſſat, ac proinde etiam juſtiſſimo bello capti de conſuetudine generali,capientium ſervi non fiunt,ſed duntaxat ad certam

quo-

quodammodo ſpeciem homagii ſeu fidelitatis ſecundum diverſos gentis cujusque mores obligantur, aut capienti λύτρον, quod barbari ranſionem ſeu finantiam indigitant, pro liberatione ſolvere coguntur, *Grotius libr. 3. de jur. bell. & pac. c. 7. n. 9.* ſed jam quæritur an res indiſtinctè fiant capientium, & negatur, ſed diſtinguitur inter occupationem bellicam, quæ fit à ſingulis militibus, & inter eam, quæ fit ab exercitu parteve, res enim quæ à ſingulis militibus occupatæ ſunt, ut mobiles in pugna direptione ad omnes milites pertinent, quæ vero à toto exercitu parteve occupantur, ut arces, civitates, & quæ ſunt in iis, ad eum ſpectant, cujus authoritate bellum geritur, *l. 13. ad L. Jul. pecul. l. 36. §. 1. C. de donat.*

XIIX.

Quarta & ultima ſpecies apprehenſionis ſeu occupationis eſt traditio, quæ eſt naturalis acquiſitio, qua res corporalis à domino ex juſtâ cauſa alteri traditur ad dominium transferendum, *§. 40. inſt. de rer. diviſ. l. 9. §. 3. ff. de acquir. rer. dom.* Eſtque duplex traditio vera ſeu propria, & ficta ſeu analogica. Vera ſeu propria eſt rerum corporalium, *§. 40. verſ. & ideo inſt. d. t.* Ficta ſeu analogica traditio eſt rerum incorporalium, qua res etiamſi naturaliter & verê tradita non ſit, interpretatione tamen juris pro tradita habetur, *l. 1. §. 21. verſ. nam pro traditis ff. h. t.* modi vero traditionis etiam diſtinguuntur in veros & fictos; Veri modi ſunt hi, cum res mobiles de manu in manum traduntur, vel quis in rei immobilis poſſeſſionem inducitur; Ficti modi vero ſunt hi. 1. per brevem manum, *l. 9. §. 1. ff. de acquir. rer. dom.* 2. per longam manum ſive demonſtrationem, *l. 29. ff. de ſolut.* 3. cum ſignum traditur pro re ſignata, ut in *§. 44. & 45. inſt. d. t.* Ut autem vera traditio Traditio.

 validâ

valida ſit, & dominium transferat *hæc ſex requiſita*, potiſſimum concurrere debent. 1. Ut tradens ſit dominus rei traditæ, *d.* §. *verſ. à domino tradita*, nihil autem refert, an dominus ipſe alicui rem tradat, an hoc per procuratorem ſuum, cui libera univerſorum negotiorum adminiſtratio eſt conceſſa, faciat, §. *nihil autem intereſt d. t.* quia quod quis per alium facit, ipſe feciſſe putatur, *l. 180. ff. de diverſ. Reg. Jur.* 2. Ut tradens ſeu dominus habeat liberam adminiſtrationem ſuorum bonorum, & ſic habilis perſona ſit ad transferendum dominium, furioſus enim & pupillus, item prodigus, cui bonis interdictum, dominium rei traditæ in alium non transferunt, *l. 9. ff. de author. tut.* 3. Ut res ſit corporalis, quæ tradi ac poſſideri poſſit, hujus quippe propriè traditio eſt, cum in incorporalibus patientia loco traditionis habetur, ſicut is dicitur tradidiſſe ſervitutem, qui patitur me ire, agere, frui, uti, *l. 20. ff. de ſervit.* 4. Ut res ſit tradita ex juſta ſeu habili cauſa ſive titulo, *d.* § *fin.* nuda enim traditio, ſi non præceſſerit juſta aliqua cauſa, non transfert dominium, *l. 31. ff. de acquir. rer. dom.* qualis eſt emptio venditio, donatio, ſolutio, ex titulo tamen emptionis, quamvis ad transferendum aptus & habilis, tùm demum dominium transfertur, cum venditori vel pretium ſolutum, vel alio modo, veluti fidejuſſore ſive pignore dato ſatisfactum, vel fides de pretio habita fuerit, §. *41. d. t. l. 19. ff. de contrah. empt.* Unde venditor, ſi pretio nondum ſoluto rem tradidit, vindicare eam rurſus poteſt, vel ſi nondum tradidit, quaſi pignus retinere, donec emptor pretium totum offerat, *l. 13.* § *8. ff. de action. empt. l. 14.* §. *1. in fin. ff. de furtis.* 5. Ut res non ſit prohibita alienari, ut res ſacra, §. *ſacræ d. t.* item fundus dotalis, *tot. tit. ff. de fund. dotal.* 6. & ultimò in accipiente requiritur

cum

tum rei ſeu poſſeſſionis traditæ apprehenſio, tum conſenſus, apprehenſio quidem poſſeſſionis quia per hanc dominium jure gentium acquiritur, *l. 1. §. 1. ff. de acquir. rer. dom.* conſenſus vero, quia in omnibus rebus, quæ dominium transferunt, concurrat, oportet affectus ex utraque parte contrahentium.

XIX.

Explicato igitur primo acquirendi modo juris naturæ ſequitur ſecundus acceſſio, quæ eſt, quando res noſtra, prævalens aliam rem, quaſi ad ſe trahit, quam interpretes dividunt in naturalem, artificialem & mixtam; Naturalis eſt, quæ fit ſola naturæ operatione ſine labore & artificio humano, atque hujus quinque ſunt ſpecies. 1. procreatio ſeu fœtus animalium. 2. alluvio. 3. coalitio. 4. inſulæ in flumine productio. 5. alvei deſtitutio. Acceſſio.

XX.

Prima ſpecies acceſſionis naturalis, qua acquiritur dominiũ, eſt procreatio, quæ enim ex animalibus noſtris dominio noſtro ſubjectis naſcuntur noſtra ſunt, *l. 2. & 6. ff. de acquir. rer. dom.* acceſſorium enim ſequitur ſuum principale, & hoc non ſolum procedit in animalibus brutis, ſed etiam quod ex rationalibus, ut ex ancillis noſtris naſcitur, dominio noſtro ſubjicitur, *§. 4. inſt. de jur. perſ.* eſt tamen adhuc aliqua differentia in hoc, quia bruta animantia in fructu computantur, ſervi autem ex ancillis noſtris progeniti non item; Abſurdum enim & inhumanum eſſe videtur hominem in fructu eſſe, præſertim quod jus naturale attinet, cum omnes homines æquales ſint, *l. 33. de Reg. Jur.* & cum omnes fructus rerum, natura, hominum gratiâ compararit, hinc etiam obtinuit, fructuarium in ancillæ partu nihil juris habere, ſed eum partum ad dominum proprietatis pertinere, *l. 75. de uſufr.* Procreatio.

XXI.

XXI.

Alluvio. Secunda ſpecies acceſſionis naturalis eſt alluvio, nam quod per alluvionem agro meo flumen adjicit, jure gentium mihi acquiritur, & contra quod per alluvionem agro meo flumen detrahit, id adimitur, eſt autem alluvio incrementum latens ſeu occultum, quando ſc. flumen publicum paulatim detrahit fundo alicujus, & alterius fundo adjicit adeo latenter, ut non poſſit oculis deprehendi, quantum & quid quovis momento adjectum ſit; Si quid igitur non latenter & paulatim, ſed palam & aperte repentino quodam impetu, vel vi fluminis agro vel fundo meo fuerit adjectum, meum non fit ſed manet prioris domini. Cæterum quæritur cuinam augmentum per alluvionē fundo fructuario adjectum acquiratur, utrum proprietario an uſufructuario, & Reſp. *Ulpianus in l. 9. §. 4. ff. de uſufr.* quod ratione uſusfructus ad uſufructuarium, ratione verò proprietatis ad dominum fundi pertineat, & hoc etiam obtinet in emphyteutico vel feudatario fundo, quod nempe, quoad directum *(ut ajunt)* dominium directo domino, quoad utile dominium emphiteutæ vel vaſallo acquiratur, id vero adhuc admonendum, quod jus alluvionis locum non habeat in agris limitatis *(hoc eſt certis limitibus deſignatis)* quoniam hi certa menſura continentur, *l. 16. ff. de acquir. rer. dom.*

XXII.

Coalitio. Tertia ſpecies acceſsionis naturalis eſt coalitio, quando nimirum flumen partem integram de prædio alterius, & quidem non latenter, ſed vi detrahit, & alterius prædio adjicit, tunc enim nullam eſſe acquiſitionem, ſed palam eſſe dicit Juſtinianus §. 21. *inſt. de rer. diviſ.* quod ea pars maneat ejus, de cujus prædiô detracta fuit, ſed ſi pars

illa

illa detracta longiori tempore fundo vicino hæſerit, ita ut arbores ſimul avulſæ in fundo vicini radices egerint, ex eo enim tempore intelligi adquiſitam illam partem vicino, mutata jam proprietate, propter coalitionem cum fundo, & hoc modo conſtituit acquiſitionis ſpeciem, non autem priori. Quomodo autem cognoſcatur vel probetur, quod terra ſit unita, vel an arbores radices egerint, reſpondent interpretes, quód ejusmodi in re ſit ſtandum judicio illorum, qui harum rerum peritiam habent, ſicut etiam in aliis caſibus, ubi eſt dubium de aliquo pertinente ad certam artem, nam & tunc ſtatur & creditur peritis in illa arte, *l. 12. ff. de ſtatu hom.*

XXIII.

Quarta ſpecies acceſsionis naturalis eſt inſula in flumine nata, quæ nihil aliud eſt, quam terra aquis circumflua, ob ſpiritum eo loci erumpere non valentem, enata auctore *Plinio libr. 2. c. 85.* Dico autem in flumine, quia ſi in mari nata eſſet ad hanc ſpeciem acquiſitionis non pertineret, ſed eſſet nullius, ac proinde cederet occupanti. Fit autem inſula in flumine præcipuè duobus modis, uno, cum flumem paulatim colluendo locum eminentem ſupra alveum fecit, eumque alluendo auxit, altero, cum flumen partem alvei ſiccam relinquendo circumfluit, *l. 30. §. 2. de acquir. rer. dom.* tertius autem modus in *d. l.* nempe quando flumen curſum ſuum quidem & alveum retinet, ſed aliquà ſui parte ſe dirimit, agrum alicujus circumfluit, & ex eo inſulam facit, æquivocè ibi additur, non quod revera inſula ea ſit quoad hunc effectum acquirendi, ſed ratione formæ exterioris inſulæ & dicit *Juſtinianus* in *§. 22. inſtit. de diviſ. rer.* quod ager ille, quem ita circumdedit flumen, maneat domini ejus cujus fuerat, vera Inſula.

autem

autem inſula in flumine nata, adjicitur vicinis prædiis, ſiquidem mediam fluminis partem tenet, pro latitudine cujuscunque fundi, qui prope ripam eſt, communis eſt eorum, qui ab utraque fluminis parte, prope ripam prædia poſsident, ſi vero alterutri prædio proximior ſit eorum, tantum eſt tota inſula, qui prope ripam proximiorem prædia poſsident.

XXIV.

Alvei deſtitutio. Quinta denique ſpecies acquiſitionis ſeu acceſsionis naturalis eſt alvei deſtitutio, cum flumen naturali alveo derelicto, alia parte fluere cœpit. Alveus autem hoc loco foſſam denotat, per quam flumen delabitur, & notanda veniunt circa alvei deſtitutionem *tria.* 1. Si flumen conſuetum ſuum alveum in univerſum derelinquat, & aliam partem fluat, derelictus alveus fit eorum, qui propè ripam alvei habent prædia, & ad eundem modum dividitur alveus inter vicinos, ſicut de inſula in flumine orta dictum eſt *theſi præcedenti*, & novus alveus fit publicus, *l. adeo b. t.* 2. Si poſt aliquod tempus ad priorem alveum reverſum fuerit flumen, novus alveus fit illorum, qui prope ripam prædia proxima habent, non verò prioris domini, *§. 23. verſ. quod ſi poſt. b. t.* quia mutata forma rei ſubſtantia interire dicitur, *l. 9. §. 3. ad exhib.* quod tamen videtur procedere de rigore juris, non autem de æquitate. 3. Si totus ager inundatus ſit recedente aqua manet ager *ejus* cujus fuerat, quia inundatio non mutat agri ſpeciem, *§. 24. inſt. de R. D. L. 7. §. 6. ff. de acquir. R. D.*

XXV.

Acceſsio artificialis eſt, quæ fit artificio hominum, ſeu quæ fit humana tantum natura operante, cujus ſeptem ſunt ſpecies. 1. Specificatio. 2. Confuſio. 3. Inædificatio.

catio. 4. Commixtio. 5. Scriptura. 6. Intextura, & 7. Pictura.

XXVI.

Prima ſpecies acceſsionis artificialis, qua jure naturali ſive gentium rerum acquiritur dominium, eſt ſpecificatio, ſeu novæ ſpeciei ex alienâ materia confirmatio & effectio. Cujus autem iſthæc eſſet, veterum JCtòrum diverſæ erant opiniones, *Sabiniani* enim reſponderunt ſpeciem factam ex aliena materia pertinere ad eum, qui erat dominus materiæ, ratio autem fuit, quod ſine materia nulla ſpecies effici poſsit, & accidens cedat ſubſtantiæ vel rei, ſine qua eſſe nequeat, *l.23.§.3.ff.de rei vindic.* *Proculiani* vero contrarium reſponderunt, hunc ſcilicet fieri qui fecit, ratio autem fuit, quia quod factum eſt, antea nullius fuerat, ac ideo occupanti concedi debet, §. *12. inſtit. h.t.* & quia potentior eſt forma *(quæ dat eſſe rei l.9.§.3.in fin. ad exhibendum)* quam materia, quæ per illam extincta videtur, *arg. l.36.ff. de uſufr.* Verum neutra obtinuit ſententia, ſed media quædam diſtinctione conciliata, quam *Juſtinianus in* §. *25. h.t.* comprobavit, nempe aut ea ſpecies ad priorem & rudem materiam redigi poteſt, & vera eſt *Sabinianorum* ſententia, ob id certe, quoniam ſpecies non videtur novam formam ſuſcepiſſe, quæ tam facile reſolvi poteſt in priſtinam & rudem materiam, aut vero reduci non poteſt, & eo caſu ſubſcribitur ſententiæ *Proculianorum*, ut is videatur dominus, qui facit novam ſpeciem, nam ubi ſpecies in priorem materiam non poteſt reſolvi, materia autem deperdita, dominium quoque ejus ſublatum cenſetur, ut autem ſpecies ex aliena materia ſpecificanti acquiratur, *quatuor* potiſsimum neceſſaria videntur. 1. Ut nova ſpecies conſtituatur. Veteri namque ſpe- Specificatio.

 cie

cie manente, & figura tantum externa mutatâ, res prioris domini manet, itaque ſi quis ex alienis ſpicis frumentum excutiat, frumentum non excutienti acquiritur, ſed manet illius cujus & ſpicæ fuerant, quoniam excutiens non nova grana fecit, ſed ea, quæ cortice occultabantur, & perfecta jam erant, detexit, *l. 7. §. 7. in fin. ff. de acquir. rer. dom.* 2. Ut is qui novam ſpeciem induxit, ſuo id nomine fecerit, nam ſi alterius nomine fecit, ejus eſt, cujus nomine fecit, *l. 25. 27. §. 1. d. t.* 3. Ut bona fides acceſſerit, hoc eſt, illæſa conſcientia, quia materiam ſuam eſſe putavit, nam ſi id mala fide feciſſet, ſciens materiam eſſe alienam, locum haberet regula, quod ex re noſtra fit, noſtrum eſt, *l 49. ff. de rei vindicat.* & in univerſum jus naturale *(de cujus acquiſitione hic tractamus)* nullum unquam dat locum malæ fidei 4. ut ſpecies ad antiquam rudem materiam reverti non poſſit, etenim ſi reverti poſsit, placet, ſpeciei dominum eum eſſe, qui & materiæ dominus fuit. Quamvis autem faciens novam ſpeciem, fiat dominus hoc caſu ſpeciei, poteſt tamen materiæ dominus adverſus eum actione in factum experiri, ut ſuæ materiæ æſtimationem conſequatur, *l. 23. §. 5. verſ. idemq; ff. de rei vind.* Atque hæc quidem de ſpecie ex materia prorſus aliena facta, ſi vero ſpecies ex materia mixta ſive communi, id eſt, partim ſua partim aliena ſit compoſita, & de ea ait imperator in §. *26. inſt. h. t.* iſtam ſpeciem ſine dubio eſſe ejus, qui effecit; Rationem ibi addit, quia & operam ſeu formam & partem materiæ præſtiterit, quod tamen ita demum verum eſt, ſi ſpecificans habuerit bonam fidem, exiſtimans totam materiam ſuam eſſe, *l. 12. §. ſi quis ff. ad exhibend.* & nova illa ſpecies ad priorem materiam atque cauſam reduci non poterit, ut omnia exempla in *d.* §. oſtendunt.

XXVII.

XXVII.

Secunda ſpecies acceſſionis artificialis eſt confuſio, quando ſcilicet materiæ ejusdem vel diverſi generis voluntate duorum dominorum confunduntur, & tunc illud corpus, quod ex confuſione fit, eſt utriusque commune naturali ratione pro rata portione, quam quilibet antea habuit propter voluntatem ſc. & conſenſum dominorum. Veluti ſi qui vina ſua confuderint, aut maſſas auri vel argenti conflaverint, *l. 7. ff. h. t.* Secus autem eſt, ſi caſu vel voluntate unius materiæ ſint confuſæ, tunc enim diſtinguitur hoc modo: Aut res confuſæ ſeparari poſſunt, & nulla fit communio, & ideo non poteſt agi communi dividundo, ſed quivis partem ſuam diſtinctim & pro diviſo vindicabit, *l 5. §. 1. ff. de Rei vindicat.* Aut vero ſeparari non poſſunt, & ſic rurſus, aut materiæ retinent ſubſtantiam ſuam & fiunt communes, aut non retinent, ſed exiſtit nova ſpecies, & iterum aut confuſio facta eſt caſu, & fiunt communes, aut facto unius, & corpus totum fit ſpecificantis, & dominus materiæ habet actionem in factum accommodatam Legi Aquiliæ, ſecundum *l. 11. ff. præſcript. verb.* qua repetat materiæ pretium, *l. 23. §. 5. verſ. ideoque ff. de Rei vind.* Differt autem confuſio à ſpecificatione, quod in ſpecifitione unus ex duplici materia ſpeciem fecerit, hic vero nulla nova ſpecies facta ſit, ſed tantum materiarum unitio & conjunctio, ut patet ex exemplis *§. 27. inſtit. h. t.* Confuſio.

XXVIII.

Tertia ſpecies acceſſionis artificialis eſt inædificatio, qui enim in ſuo ſolo ex aliena materia ædificat, is totius ædificii, atque etiam materiæ junctæ fit dominus, *§. 30. h. t* quia omne quod ſolo inædificatur, ſolo tanquam fundamento cedit, ſolique domino acquiritur, *l. 7. §. 10. ff. h. t.* Inædificatio.

§50. ff. ad L. Aquiliam l. 2. C. de rei vindicat. loquor autem hic de eo ædificio, quod fixum eſt & immobile ſoloque cohæret, nam quod facile auferri & tolli poteſt, adeoque ſolo non cohæret, domino ſoli non cedit, *l. 60. ff. h. t. l. 18. ff. de action. empt.* Competit tamen domino materiæ ſtante ædificio actio de tigno juncto in duplum, ſive bona ſive mala fide junxerit, *l. 23. §. pen. ff. de Rei vindic.* licet priori caſu mixta ſit hæc actio, poſteriori vero mere pœnalis, *l. 1. ff. de tigno juncto*, præterea qui mala fide tignum alienum junxit, tenetur pluribus actionibus, nempe actione furti, & ad exhibendum, *l. 1. §. fin. ff. d. t.* tignum tamen vindicare non poteſt, ex diſpoſitione legis 12. tabularum, qua cavetur, ne quis tignum alienum ædibus ſuis junctum eximere cogatur, *l. 1. ff. d. t.* & hoc propter publicam utilitatem, ne ſcilicet aſpectus urbis depoſitis ædificiis deformetur, *l. 2 C. de ædific. privat.* diruto autem ædificio à bonæ fidei poſſeſſore, ſi nondum ſit conſecutus æſtimationem, in duplum tignum vindicare poteſt; At contra malæ fidei poſſeſſorem datur rei vindicatio, etiamſi jam dominus duplum fuerit conſecutus per actionem de tigno juncto, quia tunc duplum eſt mera pœna, *ut dixi l. 1. & 2. de tign. junct. §. ult. inſt. de obligat. quæ ex delicto naſc.* Venit autem hic appellatione tigni omnis materia, ex qua ædificia fiunt, lapides, trabes, calx, tegulæ, *l. 1. ff. de tign. junct. l. 62. ff. de verb. ſignif.* Ex diverſo vero, qui ex ſua materia in ſolo alieno ſive ſciens ſive ignorans ædificat, materiæ dominium amittit, quatenus illa ædificio cohæret, ſoluto vero ædificio bonæ fidei poſſeſſor, ſive is, qui putat ſolum ſuum eſſe, in quo ex ſua materia ædificavit, poteſt repetere materiam, *l. 2. C. de rei vindic.* malæ verò fidei poſſeſſor ſive is, qui ſciens in ſolo alieno ædificavit, non poteſt vindicare,

care,cum hoc caſu donaſſe præſumatur, *l.53.ff.de Reg.jur.* ſed quæritur an bonæ fidei poſſeſſori, qui non deductis impenſis,rem reſtituit,competat remedium, quo reſtitutionem earum poſſit conſequi Reſp.neg.per *l.48.ff. de Rei vindic.* retentiò namque ex ſola æquitate conceditur poſſidenti, imputet E. ſibi poſſeſſor,quod non fuerit diligens in retinendo, ne quidem actio negotiorum geſtorum, *l.4.§.1.ff. commun. divid. l.33.ff. de condict. indeb. l.4.ff. de rei vindic. l.14.ff. de doli mali except.* Sed jam occurrit hæc quæſtio, an & quatenus impenſas ædificans deducere poſſit, & hanc impenſarum materiam uſu frequentiſſimam, & latiſſimè patentem breviter ita explicandam eſſe duxi, ut diſtinguatur inter expenſas neceſſarias, utiles & voluptuarias,itẽ inter bonæ & malæ fidei poſſeſſorem,*l.39.ff.de petit. hæred.* Quòd attinet impenſas neceſſarias,tam malæ quas bonæ fidei poſſeſſor eas deducit,*l.38.ff.de hæret.petit. l.5.C.de rei vindic.*cum hac tamen differentia,ut bonæ fidei poſſeſſor omnimodo impenſas deducat, licet res non exſtat, in quam fecit, malæ fidei autem poſſeſſor non aliter quam ſi res exſtet, *d.l.38.in fin.ff.de hæred.petit.* Quod verò attinet utiles impenſas in rei vindicatione(ſecus eſt in hæreditatis petitione, ubi utiles impenſas non minus ac neceſſarias uterque deducit, *d.l.38.d.t.*) bonæ fidei poſſeſſor etiam deducit, ſeu exceptione doli oppoſita per officium judicis æquitatis ratione ſervat, *§.31.& 33. inſt.h.t. l.48.l. 27.§.5.ff.de rei vindic.* malæ verò fidei poſſeſſor eas non deducit, *l.37.ff.d.t.* imo ſtrictâ ratione juris ne quidem tollit, *§.31.h.t.l.7.§.12.ff.eodem.* ex æquitate autem tollit, *l.5.C.de rei vin.* Excepto caſu, *l.38.verſ.finge pauperem ff.d.t.* quod verò attinet impenſas voluptuarias bonæ fidei poſſeſſor in hæreditatis petitione eas deducit, *l.39.§.1.ff.de*

petit. hæred. in rei vero vindicatione uterque tollit, ſi modo ſine diſpendio rei auferri queant, *d. l. 39. §. 1. ff. de hæredit. petit.* vid. Nobiliſſ. Dn. Struve anteceſſorem in hac Salana celeberrimum *ad ff. exer. 10. th. 62.* ut & *exerc. ſeq. th. 30. & ſeqq.*

XXIX.

Comixtio. Quarta ſpecies acceſſionis artificialis eſt commixtio, quando duorum materiæ voluntate dominorum ita commiſcentur, ut ſingula corpora priorem ſubſtantiam retineant, veluti cum frumentum meum mixtum fuerit frumento Titii, fit enim tunc frumentum commune, ſi vero caſu ſeu fortuito duorum frumentum vel pecora commixta fuerint, nec frumentum nec grex communicabitur, §. *28. inſtit. h. t. l. 5. ff. de rei vind.* ſed ſingulis in rem actio, id eſt rei vindicatio ad ſuum cujusque frumentum repetendum competet; ſi autem in dubium ſit cujus ſit, tunc judex ex officio ſuo illud æſtimabit, *d. §. in fin.* Diſtingui autem videtur commixtio à confuſione, ut hæc ſit conjunctio materiarum, quæ ad duos dominos pertinent, in unam maſſam & corpus unitum, illa autem ſit magis conjunctio in unum acervum & in corpus, quod poteſt dici dejunctum, *l. 30. ff. de uſucap.*

XXX.

Scriptura. Quinta ſpecies acceſſionis artificialis eſt ſcriptura, ſcripta enim, licet aurea ſint, cum tamen neque artis, neque ſumptus multum exigant, chartis cedunt ſeu fundamento ſuo, neceſſe eſt enim, ei rei cedere id, quod ſine illa eſſe non poteſt, §. *33. inſtit. h. t.* ſcriptor tamen bonæ fidei, dominum chartam vindicantem exceptione doli mali repellere poteſt, ſi impenſas ſcripturæ ſolvere recuſet, ſecus tamen eſt in ſcriptore malæ fidei: verum cum hoc noſtro tempore ſemper ſcriptura multo pluris æſtimetur

quam

quam charta, idcirco hoc de conſuetudine non obtinere, ſed ſcripturæ chartam cedere, plerique tradiderunt, ut *Accurſius, Azo, Mynſinger, Schneidewinus & alii plurimi ad §.33. inſt. de Rer. diviſ.*

XXXI.

Sexta ſpecies acceſſionis artificialis eſt intextura, veluti ſi quis purpuram alienam veſtimento ſuo intexuerit, licet pretioſior ſit, tamen veſtimento accedit, quia acceſſorium ſequitur naturam & conditionem ſui principalis, etiamſi ſit pretioſius quam principale, *l.34. in pr. ff. de contrab. empt.* quid autem ſit acceſſorium, quid principale conſiderandus eſt animus intexentis, nam ſi appoſuit purpuram, ut eſſet acceſſorium, habetur pro acceſſorio, & locum habet noſtra ſpecies, alias ſecus. Fit autem hæc intextura vel bona vel mala fide, & utroque caſu prior dominus amittit dominium quidem purpuræ, *§.27. inſtit. b.t.* ei tamen ex æquitate ſuccurritur, habet enim adverſus eum, qui bona fide purpuram alienam ſuo veſtimento intexuit, condictionem ſine cauſa vel actionem ad exhibendum, *l. 1. §. fin. ff. de condict. ſine cauſa. l. 6. ff. ad exbibend.* Si verò mala fide datur illi actio furti vel condictio furtiva contra ſurripientem, ſive alius ſit ſive ipſe, qui veſtimentum fecit, *d. §. 27. in fin. b. t.* Intextura.

XXXII.

Septima & ultima ſpecies acceſſionis artificialis eſt pictura, quæ nihil aliud eſt quam animalium, aut alterius rei delineatio, præſentatio vel idea quædam, & de ea dicit *Imperator Juſtinianus*, fuiſſe inter veteres JCtos controverſiam, utrum pictura tabulæ an contra tabula cedat picturæ, nam *Paulus* naturali ratione conſiderata, cenſuit picturam cedere tabulæ, quia neceſſe ſit, id ei rei cedere, Pictura.

quod

quod ſine illa eſſe non poteſt, *l.23.§.3.ff.de rei vindicat.* At *Cajus*, quem *Juſtinianus* in *§.34.inſtit.h.t.* ſequitur contra ſtatuit, tabulam nimirum cedere picturæ, *l.9.§.2.ff.h.t.* quia pictura potius occupat tabulam, quam ab illa occupatur, & planè ejus formam transmutat, & diverſam ipſi imaginem induit, quod non accidit in charta ſcripta. Attenditur igitur hic ars ipſius ſcripturæ, quæ speciem tabulæ affert ſingularem & novam, & ut loquitur *l.23.§.5.ff.de rei vind.* per prævalentiam quaſi alienam tabulam ad ſe trahit. Cæterum ne tabulæ dominus proprietate rei omninò cadat, idcirco licet pictor, utpote jam dominus factus, tabulam vindicatione directa petere poſſit, ſi forte dominus tabulæ eam poſſideat, cogitur tamen pictor pretium tabulæ ſolvere, quod ſi minus fecerit per exceptionem doli mali ſubmovebitur, at ſi pictor tabulam poſſideat, datur domino tabulæ utilis actio in rem (directam enim habere non poteſt, quia illa tantum datur domino, hic autem amplius non eſt dominus tabulæ, ſed pictor) ex interpretatione & æquitate, ne ſcilicet pictor locupletetur cum alterius jactura, *Mynſinger §.34.n.8.inſt.h.t.* tum demum autem hoc procedit, ſi pictor bona fide pinxerit, ſecus eſt ſi mala fide, nam tunc datur actio furti, non tantum domino, ſed & ei, cujus intereſt, licet dominus non ſit, *§.13.inſt.de obligat.quæ ex delict.naſcuntur.*

XXXIII.

Acceſſio mixta.

Explicata igitur acceſſione naturali & artificiali ſequitur mixta, quæ fit natura divina & humana cooperante, & hujus tres ſunt ſpecies. 1. Implantatio, 2. Satio & 3. Fructuum perceptio.

XXXIV.

Implantatio.

Prima ſpecies acceſſionis mixtæ, qua jure naturali ſive

ſive gentium acquiritur dominium, eſt implantatio, ſicut enim ædificia cedunt ſolo, ita multo magis plantæ, quæ non tantum à terra ſuſtinentur, ſed alimenta quoque ex ea accipiunt, & quaſi vitam hauriunt ut creſcant; Unde ſi quis ſuo ſolo alienam plantam ſive ſuam plantam in alieno ſolo plantat, planta efficitur ejus, cujus eſt ſolum; Quod tamen procedit, ſi planta radices egerit, & cum ſolo coaluerit, ſive unitatem fecerit, ita ut inde alatur, alias manet illius, cujus fuit, *§. 31. inſtit. h. t. l. 9. in pr. ff. eodem.* Quoties autem planta aliena in alicujus agrum inſerta, ſolo cedit, toties plantæ dominus, ſi id neſciverit, vel utili in rem actione, vel in factum iſtius plantæ æſtimationem conſequitur, quantique ſua intereſt, translatam non fuiſſe, deductis tamen aut compenſatis impenſis quas fecit, qui plantam bona fide tranſtulit, *d.* §. Sed de arbore prope confinium poſita. Quæritur an illa ſit communis, ita ut fructus utrinque dividi debeant? Reſp. Diſtinguendo, aut arbor poſita in confinio in utroque fundo radices æqualiter egit, & fit communis, ita ut fructus ex æquo utrinque dividi debeant, *d.* §. Aut arbor poſita in meo ſolo ita premit terram alienam, ut nec aliunde alatur, nec alibi conſiſtere videatur, & tunc arbor eſt illius, ex cujus terra alitur; Aut aliquot ſaltim radices porrigit in fundum vicini, & vicino nihil juris acquiritur, ſed ejus manet in cujus fundo origo ipſius fuit, *l. 6. §. fin. ff. arbor. furt. cæſar.* Ex hac autem quæſtione fluit illa; An licitum ſit propriâ authoritate incidere radices, quas arbor aliena immiſit in meum fundum, vel ipſam arborem aut ejus ramos pendentes ſupra domum meam. Reſp. quod authoritate judicis mihi illud facere liceat, *d. l. 6. §. fin. ff. arb. furt. cæſar.* Si vero denunciaverim, ut tollas arborem

vel ramos, & tu hoc facere neglexeris, vel recuſaveris, permittitur mihi per prætoris edictum de arboribus cædendis propriâ authoritate radices & ramos, ut etiam totam arborem ſuccidere, & ligna ſuccisa tollere, *l.1.§.2.& 6. verſ. prius itaque ff. de arboribus cædendis. Mynſiger ad inſtit. §. 31. de Rer. diviſ. n. 6. & 7.*

XXXV.

Secunda ſpecies acceſſionis mixtæ eſt ſatio, unde ſi agrum alienum meo conſeverim ſemine, & contra, ejus eſt ſeges, cujus eſt ipſum ſolum, quia ſata cedunt ſolo, ſicut ædificium & planta: Hincque ortum trahunt vulgares illi verſiculi:

Quicquid plantatur, ſeritur vel ædificatur
Omne ſolo cedit radices ſi tamen egit.

Quomodo autem ſuccurratur domino ſeminis, idem aſſerendum eſt, ac de plantis theſi præcedenti dictum eſt.

XXXVI.

Tertia & ultima ſpecies acceſsionis mixtæ eſt fructuum perceptio ex re aliena, qua fructus bonæ fidei poſſeſſor ſuos facit, qui modus ut exactius rectiusque intelligatur, ante omnia ſciendum, aut dominum ipſum rem ſuam poſsidere, aut alium, qui rem à non domino accepit; Et illó quidem caſu indubitatum eſt, dominum rei ſuæ, à ſe poſſeſſæ, fructus omnes indiſtinctè percipere & lucrari, *§. 19. h. t. l. 2. & 6. ff. h. t.* Hoc vero caſu n Diſtinguendum erit inter fructus naturales & induſtriales; Naturales ſunt, quos natura ſua ſponte producit, in quibus nulla, vel modica verſatur hominum induſtria, ut gramen, poma, nuces; Induſtriales ſunt, quia non ſic ſua ſponte proveniunt, ſed in quibus pluris verſatur hominum induſtria, quam natura, ut frumentum, uvæ &c. 2. inter fructus

pen-

pendentes,perceptos & percipiendos; Pendentes dicuntur, qui adhuc rei cohærent,unde etiam pars fundi eſſe cenſentur,percepti, quià terra ſeparati ſunt, percipiendi, quos poſſeſſor percipere potuit, & non fecit. Rurſus perceptorum fructuum alii ſunt extantes alii conſumpti. Extantes ſunt,qui adhuc ſuperſunt, conſumpti dicuntur, qui jam abſumpti ſunt, ſive venditi ſive ad alimenta adhibiti. 3. inter poſſeſſores continuo bonæ fidei & continuo malæ fidei,vel aliquo tempore tales. Hiſce præmiſſis jam primo quæritur,an &quales bonæ fidei poſſeſſor domino rem ſuam vindicanti & evincenti fructus teneatur reſtituere, & Reſp. quod fructus exſtantes, ſive ſint naturales ſive induſtriales teneatur reſtituere, cum jus & cauſa dominii ſcil. bona fides, per quam interim ſcil. revocabiliter ſuos fecit poſſeſſor, ceſſet *l.22.C.de rei vind.* item pendentes & à ſolò non ſeparati,cum pars fundi eſſe cenſeantur,adeoque ſine dubio cum fundo à quovis poſſeſſore reſtituendi, *l.44.ff. de rei vindic.* 2.Quæritur,quos fructus reſtituat malæ fidei poſſeſſor ab initio talis, Reſp, quod omnes non ſolum fructus perceptos, ſed etiam exſtantes, conſumptos & percipiendos, (ſine diſtinctione tituli, cum uterque habens titulum ac non habens, ſit in malâ fide) quia à petitore percipi potuiſſent, *l.62.§.1.l.33.de rei vindicat.* & pro extantibus agitur rei vindicatione, pro conſumptis vero condictione ſine cauſa: Si vero ex poſtfacto bonæ fidei poſſeſſor factus ſit, nempe; ſi ſupervenit legitima cauſa putandi ſe eſſe bonæ fidei poſſeſſorem, facit fructus ſuos, ſicut bonæ fidei poſſeſſor, ab illo ſcilicet tempore, quo cœpit eſſe bonæ fidei poſſeſſor; De tempore vero, quo erat in mala fide, aſſerimus, ſicut in malæ fidei poſſeſſore dictum eſt. Tandem illud hic etiam addendum, quod non

 ſolum

ſolum ipſe malæ fidei poſſeſſor, ſed etiam ejus hæres, actione in factum fructuum conſumptorum nomine conveniri poſſit, ac tantum reſtituere debeat, quantum ex fructibus à defuncto perceptis ad ipſum pervenit, *l. 52. ff. de rei vindicat.* & hæc ſunt, quæ de hac materiâ pro ratione temporis dicenda conſtitui, hic pedem figo.

ADDITAMENTA
EX JURE PUBLICO.

I.

An renovatio inveſtituræ debeat fieri intra annum & diem? Affirm.

II.

An Reges abſque procerum conſenſu poſſint ducere uxores?

III.

An nullus poſſit eligi in Imperatorem, niſi qui ſit Germanus? Affirm.

IV.

An Evangelici Electores, ſalvâ conſcientia uti poſſint formula juramenti præſcripta in Aurea Bulla cap. 2. §. 2. Neg.

V.

An Elector ad Electionem vocatus, votum poſſit tantum per literas mittere? Neg.

VI.

An Electores ſibi invicem in Electione juramentum remittere poſſint? Neg.

VII. An

VII.

An Imperator per ſe ſolus poſſit Electorem absque conſenſu Electorum proſcribere, & Electoratum alii concedere? Neg.

VIII.

An Pontifex dederit Electoribus poteſtatem eligendi? Neg.

IX.

An Rex Romanorum ea, quæ agit in imperio independenti & propria authoritate faciat? Neg.

X.

An inſignia Imperialia aſſerventur Norimbergæ? D.

XI.

An Judicium Aulicum der Reichs-Hoffrath ſolum Imperatorem, & non etiam Statûs Imp. pro Superiore agnoſcat?

XII.

An hoc judicium Aulicum cum Camerâ Imperiali habeat concurrentem Juriſdictionem?

XIII.

An ille poſſit addiſcere juspublicum, qui non eſt peritus juris privati.

XIV.

Errant illi, qui Notitias hiſtoricas confundunt cum Jure publico.

DEO ſit Laus & Gloria.

In

IN ſtadio Themidos cupidus graſſaris ad artes
Auſibus egregiis, vigiliq; labore penitras
In Legum ſenſus; Illuſtri in ponte Cathedræ
Ingenium prodis, Te virtus armat, ut olim
Legiferâ laurû redimitus fulgere poſſis,
Me Prædem ſtatuo, conſtans ſi hæc præmia prenſas.

PerEximio Dn. Autori gratulab.

Johan. Volk. Bechman *D.*

& Præſes.

QUo titulo poſsit res illa vel iſta parari
Cum monſtras, ſtudii magna brabeja paras.
Gratulor ergo tibi, feliciqué auguror inde
Omine danda tibi, quæ dat amanda Themis.

Ita PerEximio Dn. Reſpond. Commenſali &
Contubernali ſuo dilectiſſimo
gratulatur lubens

M. Petrus Roſach, Altenâ-Gueſtph.

AHa mon cher amy qui careſſez les Muſes
De voſtre beau diſcours, Minerve vous ſourit,
Pallas vous fait l' amour, qui à vertu ſ' amuſe
Chacun vous fait la cour; moy ſeul ne ſcay qu' offrir.
Je vous ſouhaiteray le comble de l' honneur
Je dy le Laurier, où vous je cri' bonheur.

Cela eſcrit congratulant

à Monſieur le tres-docte Auteur
de cette diſpute

ſon

tres-officieux

Conrad. Chriſtoph. Meyer
Luneb. Siekâ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

F I N I S.